

*Si læseritis viduam et pupillum,
indignabitur furor meus contra vos.*

Léctio libri Exodi

22, 20-26

Hæc dicit Dóminus:

- ²⁰ «**A**dvenam non ópprimes neque afflíges eum;
ádvenæ enim et ipsi fuístis in terra Ægýpti.
- ²¹ Víduæ et pupílo non nocébitis.
- ²² Si læséritis eos, vociferabúntur ad me,
et ego áudiam clamórem eórum;
- ²³ et indignábitur furor meus,
percutiámque vos gládio,
et erunt uxóres vestræ víduæ et filii vestri pupílli.
- ²⁴ Si pecúniam mútuam déderis in pópulo meo
páuperi, qui hábitat tecum,
non eris ei quasi credítor;
non imponétis ei usúram.
- ²⁵ Si pignus a próximo tuo accéperis pállium,
ante solis occásum reddes ei;
- ²⁶ ipsum enim est solum, quo operítur,
induméntum carnis eius,
nec habet áliud, in quo dórmiat;
si clamáverit ad me, exáudiam eum,
quia miséricors sum».

Verbum Dómini.